



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De milite, cui crux inclinavit, quia inimico suo pepercerat ob illius amorem,  
cap. 21.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

cum oculos aperiret, vt eum, que spiritu viderat, cer-  
neret, visio disparuit. Requisitus a fratre Richardo  
Conuerso religioso, cum ei recitasset visionem, si Do-  
minum aliquid interrogasset de eodem opere, respon-  
dit: Non, iam dictam preterens necessitate. APOL-  
LONIVS: Quid est quoddam Saluator in viro sancto opus  
reprehendit, quod tamen ei innotescere noluit? CE-  
SARIVS: Puto quia illum, de omnibus suis operibus  
voluerit esse sollicitum, vt dum vnum nesciret, de sin-  
gulis timeret. Idem ante mortem suam confessus est  
Abbati nostro, quod voces angelorum nocte quadam  
audierit in celo. Obiit autem in ipsa dulcissima festi-  
uitate assumptionis Domine nostre, ipsius vt spero  
precibus, cui deuote seruiert, die tali de terris assump-  
tus in celum. Non solum consolatio est in Christi  
passione, imò etiam in sacris imaginibus, que eandem  
beatam passionem representant. Nam honorantes il-  
las Christus honorat & remunerat, punit indeuotos  
& negligentes.

## CAPVT XXI.

*Per ima-  
gines pas-  
sionis  
Christi  
miracu-  
la sunt.*

**T**emporibus nostris in prouincia nostra, sicut au-  
diui, miles quidam alterius cuiusdam militis pa-  
trem occiderat: casu accidit, vt occisi filius oc-  
cisorem caperet: quem cum in vltionem patris extra-  
cto gladio trucidare vellet, ille pedibus eius prostra-  
tus ait: Rogo vos domine, per honorem sanctissime  
crucis, in qua Deus pendens misertus est mundo, vt  
mei miseriamini. Quibus verbis ille compunctus, cu-  
staret, & quid facere vellet, deliberaret, inualecente  
misericordia, hominem leuauit, & ait: Ecce propter  
honorem sancte crucis, vt mihi, qui in ea passus est,  
peccata mea indulgeat, non solum tibi culpam remit-  
to, sed & amicus ero, deditque ei osculum pacis. Non  
multo post, idem miles cruce signatus mare transiens,  
cu ecclesiam Dominici sepulchri, aliis peregrinis vi-  
ris honestis de sua prouincia commixtus, intraret, &  
ante altare proximum transiret, imago Dominici cor-  
poris illi satis profundè inclinavit de cruce. Hoc cum  
aliqui ex eis considerassent, nec tamen scirent cui in-  
clinatum

tum honorem exhibuisset, ex consilio singillatim reuerſi sunt, nec tamen alicui eorum inclinatum est, nisi cui prius: tunc causam sciscitantes, cum ille diceret se indignum esse tanto honore, quæ supra dicta sunt memoriæ occurrerunt: quæ cum fratribus retulisset, mirari sunt de tanta Dei humilitate, scientes imaginis eius inclinationem factâ fuisse pro gratiarû actione.

## CAPVT XXII.

**S** Oror quædam ordinis nostri, capellam oratorij ingressa, cum ante altare coram crucifixo psalmos legeret, & cum tardè esset, custos illam ibi esse nesciens, ostium forinsecus clausit, & recessit: quod cum illa intrinsecus audiret, nec tamen pulsare præsumeret, ibidem pernoctauit: & sicut ab eius ore audiui, radius quidâ, ad instar stellæ, de brachio exiens crucifixi, tantum ei luminis præstitit, vt in tenebris, illius beneficio, psalmos suos legeret. Est super idem altare imago virginis lignea, filium tenēs in sinu, cumque sanctimonialis tempore quodam coram illa psalterium lecitaret, puerulus inopinatè aduenit, & quasi scire vellet quid illa legeret, in librum respexit, & redijt. Est autem eadem venerabilis femina laica & vidua, multumque circa ordinem nostrum feruens ac deuota, plurimas habens à Deo consolationes.

## CAPVT XXIII.

**N** Ouitius quidam in Hemmenrode, cum vice quadam in choro ad versiculum sanctæ Trinitatis deuotè inclinaret, crucem fronti suæ imprimi sensit, & puto quòd eadem hora cogitauerit de passione: Vocatur autem Hermannus, & adhuc uiuit. APOL. Puto quòd sculptores & pictores sacrarû imaginum aliquod speciale præmium ex hoc percipiant. CÆSARIVS: De hoc dubitare non debes, si tamen magis sit deuotio, quàm auaritia mercedis in causa.

H h

CAPVT